
PRÆFATIO.

Logicam offero studiosæ juventuti, qualem ipsi peropportunam esse censeo. In hac elaboranda minime ductus sum novitatis studio, quod arrogantia sit vel levitatis; sed amore veri, qui familiaris est homini bono, atque omni reprehensione vacat. Quod in veterum præceptionibus rectum fuit et accommodatum, tantum abest, ut justa possessione cedat; ut etiam magis et certius firmetur. Siquid occurrerit, quod alieno consisteret loco; id translatum esse, vel eo relegatum, quo pertinet, quis erit, qui redarguat?

Olim multa vel penitus neglecta esse, vel indiligentius examinata, tam est hodie apertum, ut ignorantis sit, etiamnum dubitare; vel male obstinati, jam

demum dissentire. Quænam essent generales cogitandi leges, non ignorabatur quidem; sed carebant dignitate sua: non eum occupabant locum, qui maxime decet; in obscuriore latebant angulo, ut nunquam satis in lucem protraherentur. Quot essent operationes mentis, id maxime pervulgatum fuit, et copiosius pertractatum; sed defuit iusta norma, quam sequerentur; non eminebant capita, ad quæ respicerent in perlustrandis rebus. Unde factum est, ut operationum indoles, qualis et quanta est, non penitus nosceretur.

Siquis ibidem quærat, quorsum tendant operationes istæ; quisnam communis sit illarum usus; fors leve quoddam indicium reperit, quod moneat, esse aliquod totum, quod ex illis confieri oporteat. Si vero desideraverit modum, quo nitendum sit ad legitimam conjunctionem partium, ad summam perfectionem, quam mens operando petat; nihil exstare videt, quod possit satisfacere; quod consilio philosophantis respondeat. Congesta materies quasi rudis relicta est; nihil oblatum artis, qua sit elaboranda, ut opus concinnum prove-

— o —
niat. Neque, ut decet, consultum est indigentiae hominis et utilitati, ut per vitam ipse sat tutam haberet cogitandi normam. Quae sunt conditiones, à quibus mens humana in suis functionibus dependet, illarum non tanta habita est cura, ut minus nocerent; ut plurimum etiam prodessent. Non id actum, ut de multis constaret fontibus, unde frequentissimus sit error; non illud provisum, ut in promptu essent remedia, quae prohiberent malum, vel certe sanarent. Dolendum denique, non patefactam, non indagatam viam esse, quam teneret animus studiosus veri; qua tutus à periculis, ad ampliores perfectionesque cognitiones protinus perveniret.

Huic inopiae succurrere profecto liberalis est studii; et fructuosi laboris, quod misere desideratur, illud pro viribus explere. Multi jam modo, quorum celebrata sunt nomina, in hac disciplina, emendanda et perficienda, utiliter non minus, quam diligenter laborarunt, rectam tenentes philosophandi normam; quippe attendentes ipsum efficientiae genus, de quo potissimum quaereretur; et efficiendi facultatem, quas leges haberet,

sua ipsius natura constitutas; quos terminos, quibus inter efficiendum contineretur; et finem, quo maxime tenderet efficiendi facultas; et conditiones, inter quas ipsa jam multum laboraret, jam felicius conando proficeret. Hos ego duces et auctores veneror, ad quos lætus gratusque respicio: horum me frui laboribus juvat, quo tutius ipse ac perfectius laborem. Num viam ingredi pigeat, monstratam ab aliis et complanatam, qua finem assequi et commode et fructuose licet?

Nequis vero in tanta scriptorum celebritate indignetur hunc laborem meum, vel tanquam supervacaneum et inutilem repellat. Non enim improbanda est posterorum opera, siquid facilitatis afferat vel lucis; si brevitati consulat vel perspicuitati; si plus serviat ordini vel nexui; si melius digerat singula, ut ad concinentiam architectonicam fabre locata sint. In his ipsis auctoribus quorum meritis et laudibus nequaquam invidéo, non ea omnia conjuncta sunt, quæ maxime requiro. Vel tanta plenitudo est operis, ut sit molesta; vel tam stricta brevitatis, ut multa deficiant,

aut certe nimium lateant; vel illud genus compositionis, ut singula inter se minus cohæreant. Hoc unum tenui propositum, ut præceptiones non modo breves essent et dilucidæ, sed etiam integræ et continuæ. Quantum asse-
cutus sim, quod petii; hujus penes sapientiores arbitrium esse volo. Mihi satis laudis et præmii erit, si, quorum gratia conatus sum, iis me non parum prodesse cognovero.

Criticis vero notis abstinendum esse duxi, continuitatis studiosior et brevitatis, contentus præciso docendi genere, quod non interruptum, ad discentium profectus esset maxime idoneum. Quæ videntur opportuna et salutares, eas prælectionibus reservandas puto.

Quod usus sim latino sermone, id reprehensionum cariturum spero. Hunc persuasit ipsum candidatorum genus, quibus prodesse in primis studui. Qui cum recipiuntur ad disciplinas superiores, jam modo exerçitati sunt literis græcis et latinis, atque, dum in philosophiam incumbunt, easdem et elegantius et uberius tenentur excolere. Quo pacto simul credo fieri, ut,

quantum ad rem nostram est, philologia cum philosophia peridonee jungatur. Hunc sermonem quoque mori patriæ, quæ multum fruitur romanis ingeniis, prorsus accommodum video; neque indignum hac nostra ætate, quæ plurimum favet romanorum literis; et in commune utilissimum, ob magnam varietatem provinciarum, e quibus huc confluere solent adolescentes, disciplinis philosophicis operam daturi.

Puritatem sermonis quod attinet, eum tam classicum esse volui, quam per terminos technicos licet, quibus carere scientia non potest. Saltem in dicendi et præcipiendi genus eam operam contuli, ut penitus displicere non debeat. Quod si tulerit approbationem doctorum, et fiduciam bonorum, et commendationem discipulorum; si satis aptum visum fuerit *ὀργανον* ad communicandam, ad augendam sapientiam; nihil profecto erit, quod præterea requiram. Habebit labor, quod volui, iucundissimum fructum, speratam laudem, quæsitum decus.

Coloniæ ubiorum
Frid. jd. decemb. MDCCCXI.

H E V S E R.